

perpetuâque uti valetudine, secundo vitæ sine ulla of-
fensione cursu? Id modò, dum hoc agitis, providete
sedulò, ne vel Deum blasphemâ impatientiâ; vel vos
ipso, prodigalitate, atque audaciâ: vel proximum in-
juriâ aliquâ contaminetis. Ita venatio vestra & grata
erit Deo & hominibus utilis: vosque, in ea capietis,
non modò hujus vitæ adminicula: sed futuræ et-
iam felicitatem; salutem æternam, & gau-
dia nunquam intermoritura.

DIXI.



ORATIO PANEGYRICA,
DE
VITA ET
MORTE,
Serenissimi, Laudatissimique Principis,
MAXIMILIANI III.
MAXIMILIANI II.
IMP. FILII:

Divorum Augustorum,
RUDOLPHI II. & MATHIÆ, IMPP.
FRATRIS.
ARCHIDUCIS AUSTRIÆ, DUCIS
BURGUNDIÆ, COMITIS
TIROLIS &c.
ORDINIS TEUTONICI per Germani-
am & Italiam &c. Magistri supremi &c.

*In illustri ac frequenti Panegyre, Gymnasii
Schœnaichiani,
publicè habita
à*

BALTH. EXNERO de HIRSCHBERGA,
Poëtâ Cæsario, & Historiarum atque Antiquitatum
Professore Ordinario.

Ex Calcographéo
JOAN. DÖRFERI, TYPOGRAPHI
SCHÖNAICHIANI.

NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO
V I R O D N.

CAROLO ENDERN
à Serchau / in Leutholsheim /
& Hennersdorff &c. Hære-
ditario &c.

SERENISS. ET INCLYTISSIMI PRINCIPIS,
MAXIMILIANI III. ARCHIDUCIS
AUSTRIÆ, DUCIS BURGUNDIÆ,
COMITIS TIROLIS
&c.

τὸ μακαρίτης, Dapifero ex primis
&c.

Dn. & Fautori suo summo,
Hanc

DE MAXIMILIANO, ARCHI-
D U C E &c.

ORATIONEM FUNEBR.

Iubens meritoque dedicat & consecrat

BALTH. EXNERUS
de Hirschberga.



426427



PRÆLOQUIUM.

ILLUSTRIUM virorum mores, dicta & facta, in literas mittere, cum Græcæ tum Romanæ Antiquitati, quæ heröicis facinoribus ut plurimum favit semper, usitatum fuit: idque non immerito. Virtutis enim merces est gloria, quæ una, *Oratore* teste, vitæ brevitate, posteritatis memoriâ consolatur. Adhæc justiciæ est, suum cuique tribuere: nec tam in eum, qui laudatur: quàm in Deū ipsum, omnium bonorum & donorum laudabilium Autorem celebratio redundat; cum Virtutes heröicæ nihil aliud sint, quàm divinæ lucis radii, & pii prudentesque ac fortes Principes, quàm vivæ Dei imagines. Quia ergo laudatissimus Princeps MAXIMILIANUS III. Archidux Austriæ, nuperè quoq; Naturæ debitū persolvit, operæ pretium me facturum esse putavi, si & ego, ex fide olim datâ, post alios fortè plurimos (quis enim Bonus hunc Principem *Ὁ Φημίς* spoliet postumâ, quæ ei jure competit æquissimo?) publico apud nos sermone Eum laudarem. Heic equidem *Hæctor* ille *Navianus*, plenâ planâque voce exclamare videtur: se quidem honorificum ducere laudari: sed à viro laudato: & verendum esse, ne dum Ego MAXIMILIANUM laudare cogito, magis honores ejus atteram, quàm asseram. At hæc & sexcenta alia nugamenta refutare videntur duæ illæ voculæ: DATA FIDES. Tantum igitur abest, ut ab hoc justo & laudabili instituto desistam, ut etiam nunc *Orationem* illâ, publicis typis omni posteritati consecrare non verear. Tibi autem Nobilissime & Ampliss. Dn. ENDERE, præ aliis eam inscribere & dedicare volui, ob causas non unas. Tu enim ex literis amœnioribus & variâ ac propè duodecennali peregrinatione (qui

A 2

verus

verus demum peregrinationis fructus est) eam tibi prudentiam comparasti, ut vel unus ex multis dexterrimè de rebus & scriptis talibus judicare valeas. Ego sanè citra adulationem apertè fateor, singula tua verba (quod de Euripide vulgo jactatur) in nuperâ nostrâ GLOGOVIENSI *συμβώσῃ*, singula fuisse testimonia. Addo etiam singularem humanitatem tuam, quâ suspicis & suscipis omnes & omnia, quæ à Bonis profiscuntur, efficisque facilè, ut te omnes Boni, non nisi amare, & ipsi Mali vix odisse queant. Huc accedit tertium, idque palmarium, quod tu quoq; ex præcipuis optimi Principis MAXIMILIANI *ἡ μακαρίτης*, Aulæ Familiarib. fuisti, virtutesque ejus, pietatem, prudentiam, & fortitudinem, coram tanquam in speculo creberrimè, corporis atque animi oculis inspexisti, & proinde omnium optimè testimonium, cum vitæ illius: tum Orationi meæ perhibere potes. Superest, ut te rogem, ut Orationem hanc de MAXIMILIANO Tuo (sed heu tuo!) suscipias animo benevolo, mihi que porrò faveas, Id quod ob ipsos beatî MAXIMILIANI Manes te rogo, obtestorque. Benè feliciterque Vale, vir & Fauctor magnæ. Scrib. Bethaniæ Anno CIO IO CXIX. IV. Kal. Martii, quo dicante annos XVI obiit Madriti Hispaniarum Serenissima Imperatrix MARIA, CAROLI V. filia: MAXIMILIANI II. Conjunx: RUDOLPHI II. & MATHIÆ I. Impppp. atque hujus demortui MAXIMILIANI III. Archiducis, Mater laudatissima.

ORATIO.



ORATIO DE MAXIMILIANO III. MAXIMILIANI II. IMP. FILIO, ARCHIDUCE, AUSTRIÆ, DUCE BURGUNDIÆ COMITE TIROLIS &c. Ordinis Teutonici per Germaniam & Ital. Magistro supremo

habita à

BALTH. EXNERO DE
HIRSCHBERGA.

HOc igitur, Illustres & Generosi, Magnifici item & Nobilissimi Domini: Reverendi, Cl. Consultis. Excellentis. Doctis. Præstantis. Prudentissimique Viri: Tuque florentissima ex omnibus ordinibus juvenus: Hoc igitur, inquam, unum restabat in turbulentis istis *Bohemia: Boemia* autem? imò universæ *Germania* turbis, & miserè afflicto Patriæ communis statu, ut de totâ Patriâ optimè meritis *Princeps* & verus *Germania Phoenix*, pacisque communis *Atlas*, MAXIMILIANUS III. *Archidux Austria* immiti falce Mortis caderet, & *Divum Fratrem MATHIAM Imp.* consilio: FERDINANDUM II. *Patrualem, Regem*, auxilio: *Patruales* alios, *Agnatos, Cognatos*, præsidio: *Austriam* Patriam, subsidio: *Bohemiam & adjunctas Provincias*, patrocinio: atque adeò omnem *Germaniam* amore destitutam suo relinqueret? O *Princeps* inclytissime, quàm importuno, quàm infelici, quàm alieno tempore, nos patriamq; nostram, omni humanâ ope orbatam deseris, & extremum illud VALE, nobis mœstis & afflictis, ingeminas? Te *Imperator* suum *Achatem* amabat: Te *Rex* suum *Patroclum* honorabat: Te *Patruales, Agnati, Cognati*, suum *Agamemnona* suspiciebant: Te *Austria* patria, suum *Heclora* colebat: Te *Bohemia & adfita Regiones* suum *Herculem* poscebant: Te denique *Germania* suum *Nestora* in oculis quasi ferebat. Pro Te Senes & Juvenes: viri & Mulieres: divites & pauperes: Subditi & Domini:

Maximi, Medioximi, & Infimi: Vno verbo dicam; Omnes Boni Deum dies noctesque sollicitabant: Te gentis *Austriaca oculum*: Te *Bohemie spiritum & animam*: Te *Germania dextram Manum*: Te demum *Tutelare Numen* suum omnes homines sperabant, desiderabant, expetebant, expectabant. Sed hanc spem, hoc desiderium, hanc expetitionem, hanc expectationem, unica infeliciū *Kalendarum Novembrium* horula: quid dico: horula? immo unicum momentum decollavit: & *Divo Imp. Regis: patruelibus: Agnatis: Cognatis: Patria Austria: Boemia & Sociis Regionibus*: ac tandem toti *Germania*, vel ut paucioribus rem comprehendam, omnibus *Bonis* perpetuam lugendi materiam suppeditavit. O vim fati inexorabilem! O *Kalendarum Novembrium* aspectum miserabilem! ô casum tanti Principis irreparabilem! Tanti, dico, *Principis*, in quo genus cum virtute: virtus cum Animo; Animus cum Eruditione: Eruditio cum fortitudine: Fortitudo denique cum sapientia & prudentia certasse videtur.

Sed ne quis ἀφωσιώτως χάρην, & dicis, quod ajunt caussa, nos hæc dixisse, aut affectui plus atque honori, quam judicio & veritati dedisse suspicetur: vitam *MAXIMILIANI*, leni quasi penicillo adumbrabimus: eademque operâ & fidem dictis nostris adstruemus: & memoriam laudatissimi *Principis* ad omnem posteritatem transmittemus. Idque ex fide, qua serenissimæ domui *Austriacæ* obligatus sum.

Verum unde dicendi initium ducam? ubi desinam? Equidem sic existimo, si justus honor unquam habitus est *Principi* defuncto, in nullo facile justior, quam in hoc invenietur: si iusta funebria ulli unquam jure facta sunt, nemini majori jure & merito fient, quam *MAXIMILIANO Archiduci*, cujus splendorem & dignitatem, si à Parentibus & generis Antiquitate, Majestate ac gloriâ æstimemus, quæ familia, quæ gens, quæ stirps celebrior, augustior, gloriosior domo *Austriacâ* in *Europa* fuit? quæ etiam ante Christi in carne ortum, tot gentis suæ Dynastias nominare potest, atque à trecentis, quadraginta sex annis, in supremo Majestatis & Gloriæ fastigio collocata, *Romani Imperii* sceptrum tenuit, & coronis *Imperatorii* undecim, novem verò *Regis* effloruit. E qua etiam tanquam ex Argo navi & Equo Trajano, tot delecti herôes prodierunt, qui & armis dignitatem familiæ, & virtute gloriam ac nomen *Germania* sustinuerunt.

Quid

Quid ego *RUDOLPHUM primum*, proprium ac genuinum hujus stemmatis Autorem deprædicem? qui primus Imperatoriam dignitatem in hanc familiam transtulit, & quater ac decies è prælio victor rediit? Quid hujus filium *ALBERTUM primum*, qui *ADOLPHUM Casarem*, propter ambitionem & sordes abdicare se imperio jussus, & nihilominus Imperii titulos armis sibi asserentem, apud *Langiones*, in agro *Spirensi*, superavit prælio & occidit? Quid porro *ALBERTUM II. felicem*? qui uno eodemque anno tria sceptrâ, tres coronas consecutus est, *primam Hungaria: alteram Boemia: tertiam denique Romani Imperii*? Quid exinde memorem *MAXIMILIANUM primum*, divinâ quâdam & incredibili Virtute, prudentiâ, ac fortitudine Principem? Quid *CAROLUM V.*? qui non modò hujus & alterius seculi: sed totius Antiquitatis gloriam fortitudine ac victoriis superavit? Quid vel Avum nostri *MAXIMILIANI FERDINANDUM I.* Principem justum, prudentem & pacificum? qui religionis libertatem sanctè sanxit, constituit, confirmavit. Quid demum hujus *MAXIMILIANI Patrem, MAXIMILIANUM II. Imp.* qui propter summam pietatem, probitatem ac humanitatem, uti *Titus Vespasiani filius, Amor Mundi ac delitium generis humani* dictus est? Quid denique de *RUDOLPHO II. MAXIMILIANI nostri fratre*, Divino Principe, dicam, qui ipsâ Prudentiâ prudentior, omnium Antecessorum suorum res gestas splendore suo sic adæquavit, ut illi juvisse Rempubl. hic servasse: illi defendisse; hic constituisse incomparabili dexteritate videatur.

Hæc Ego, si in laudes *MATHIÆ I. Imp.* excurrere, aliorumque *Regum, Archiducum, Ducum* ac *Principum Austriacorum* imagines, tiaras, circulos aureos & gemmatos: si imperia, si sceptrâ, si diadematâ, si necessitudines & affinitates recensere vellem, dies me potius, quam Oratio deficeret. At revocat me, & manus quasiprehendit *MAXIMILIANUS* noster, qui ita suorum laudes decantari postulat, ut etiam suas obliterari non velit, quæ tot ac tantæ sunt, ut nullum tam acutum & excellens ingenium sit, quod eas percurrere, ac tueri; nedum pervidere ac comprehendere possit.

Nam ut de pueritiâ ejus aliquid in medium proferam, quis hoc Principe accuratiùs à parentibus, studiosiùs, ac fideliùs educatus fuit? Tam

Tam cæcus & imprudens solet esse plerorumque parentum, præsertim Matrum: & Matrum quidem Principum, in liberos amor: tam impotens charitas, ut cum illis omnia bona, fausta & felicia contingere optent, velintque, nimiam indulgentiam teneram eorum ætulam corrumpant & effeminent, effeminent autem? immò in miseras animi molestias & angustias, ipsis & Reip. nocivas, voluntariam quãdam Amoris insaniam præcipitent. At noster hic *MAXIMILIANUS* non inter Muliercularum delitias in Gynecéo emollitus: non inter Adulatores Aulicos fractus est. Sed cum Parentes laudatissimi, facile intelligerent, quantum interesset, à teneris annis vivendi rationibus optimis assuescere, præsertim in Principe, qui pastor populi futurus, & ad cujus vitam moresque subditi sese composaturi essent, maturè eum doctis & prudentibus Præceptoribus erudiendum tradiderunt.

Et in hoc quidem virtutis theatro, cum humanarum, tum divinarum rerum tantam sibi comparavit scientiam, ut si Princeps non fuisset, quod de *Alphonso Arragonie Rege* alibi dicitur, præstantissimus Philosophus dici atque esse potuisset: adeò ut supra humanam eruditionem doctus Princeps, *Mauritius*, *Hassie Landgravius*, sicut ex fide dignis accepimus, dixerit, se non existimasse in *Archiduce* ullo tantam sapiendi pariter & dicendi vim reperiri, quantam in *MAXIMILIANO*, hospite tum suo, animadvertisset. O vocem egregiam! ò testimonium verax! Et quidni verax dixerim? Etenim sicut de pictore, fictore, sculptore non nisi Artifex: ita non nisi sapiens de sapiente judicare potest. At miraculum me vobis enarrare videbor, si dixerò, quod *MAXIMILIANI* vicissim, de eodem *Mauritio* absente iudicium fuerit? Non ovum ovo similis est, non lac lacti; quàm alterius Principis de altero & incio quidem iudicium: Audi vi quidem inquit, *Maximilianus* ad suos; *Mauritium Landgravium* eruditum esse Principem: sed tam magnam, tam exquisitam, tam reconditam in eo esse doctrinam & eruditionem, qualem reperi, nunquam credidi.

O vim veritatis (non enim possum, quin exclamem iterum) invictam! ò honorem literarum augustum! O tales & tanti plures nobis suppetant in Germania Principes, quid non sperare, quid non polliceri sibi Respub. Christiana possit?

Sed ut ad *MAXIMILIANUM* revertar, non ille primis tantum annis,

annis, dum sub Magistrorum disciplina fuit, artibus humanioribus operam sedulam navavit: sed in omni vitæ piarum meditationum exercitationibus incubuit: quin & earum causa, cum jam demandatis sibi honoribus fungeretur, quod his meis oculis vidi, per aliquot horas singulis diebus, semet ab hominum frequentia, à negotiis, à curis aliis omnibus sejunxit, quò liberiùs in illas animum posset totum intendere, indeque salutaria tam sibi, quàm Reipubl. Christianæ, sive consilia petere, sive præcepta: imitatus in hoc *MAXIMILIANUM* I. abavum: *FERDINANDUM* I. avum: *MAXIMILIANUM* II. patrem: & *RUDOLPHUM* II. Fratrem, doctrinæ ac pietatis famam celeberrimos Principes, qui sic Regna ac Provincias suas administrabant, ut interim librorum usum ac studiorum fructum non omnem dimitterent. Atque utinam, utinam *MAXIMILIANI* nostri exemplum sibi imitandum proponerent ii, qui simul atq; è manu Præceptorum eruperunt, non libros ampliùs evolvunt: sed litibus se & negotiis, Principi ac Nobili Viro parum decòris involvunt: Hi enim si eadem viam, quàm *Maximilianus*, ad meliorem illam, sublimioremq; sapientiam grassarentur, meliùs & sibi, & fidei suæ commissis consulerent, salutemque utrorumque feliciùs procurarent, & rectiùs.

Non autem ego eorum probo in studiis diligentiam nimiam, qui cum *Adriano Imp.* supra modum doctrinam affectant, aut cum *Michaële, Duca filio, Byzantii Imp.* ita totos se literis dedunt, ut gubernatio rerum interim penes alios sit, imperiumque turpiter dehonestetur: sed eum omninò Principem cupimus, qui cum Agricola *Taciti Historici Socero*; flagrantem studio animum coërceat: teneatque, quod est difficilius, ex sapientia modum: hoc est, hauriat sapientiam ex literis, ad usum & prudentiam. Uti enim qui ignem à vicino petit, non illic hæret: sed ablato eo, domi focum suum accendit: sic capiendi à doctrina igniculi illi prudentiæ, & ad usum, actionemque Civilem transferendi sunt. Quod apud *Romanos Augustum, & Trajanum*: apud *Germanos* autem *Maximilianos, Ferdinandum & Rudolphum II.* Impp. imprimis autem nostrum *Maximilianum* fecisse novimus. Et hinc tantam sibi in rebus agendis comparavit prudentiam, ut de præsentibus dextrè judicaret, & eventus ex futuris rectè colligeret. Ex quo sensim prudentia ejus, in omnium corda irrepsit, adeò ut omnium mentes sibi devinceret,

ciret, ut quæcunque ipse cogitaret, diceret, decerneret, omnes perinde rata, & firma haberent, ac si ab ipso cœlesti Oraculo provenirent. Erant enim ejus dicta & facta plena consilii, plena prudentiæ, ac sapientiæ: omnesque ejus cogitationes, omnia vota, omnia instituta, non aliò tendebant, quàm ut justitiam & æquitatem coleret, atque cùm Reip. commodo: tum gloriæ studeret. Idque tantùm sibi lucro cedere arbitrabatur, quod Reip. Christianæ utilitati honorique esset. Quare tantus erat omnium non modò plebejorum: sed Principum quoque Maximorum consensus in ipso amando, colendo, observando, ut nihil antiquiùs ducerent, quàm Opt. Principis voluntati & consilio assentire, ac ejus sententias libenter capessere, longèque melius huic Principi parère judicarent, quàm imperare. *Plato* Sapientissime, tuæ vocis venit in mentem, qua dicebas: *beatas fore Respub. si eas aut Philosophi regerent: aut qui regerent, Philosopharentur.* Oraculum sanè certius, quàm ex Apollinis tripode redditum, quod serenissimi *Maximiliani* gubernatio exactè comprobavit. Siquidem hic est ille Philosophus, quem tu mentis oculis quæstivisti, qui sic accessit ad Rempubl. ut imperare se fratribus, non alienis: liberis non servis: & rationem suæ administrationis, illi omnium Principi constare debere, putaret.

Huic autem *Maximiliani* cùm sapientiæ, tum prudentiæ accessit singularis Pietas, quam verâ religione & cultu divino metimur, maximamque & præcipuam *Principum* laudem esse auguramur. Hujus laudis hæreditariam & quasi per manus traditam possessionem *Maximilianus* noster sic complexus est, ut post hominum memoriâ, nemo religiosius vixerit, & sanctiùs Deum coluerit. O dignum æterna memoriâ Principem, qui principium, finemq; Principatûs sui constituit, rectum de Deo sensum: rectum, in Deum, cultum! Hunc cultum, qui semel sibi Arcem ponit & fundamentum reliquarum suarum virtutum, ille nō potest esse non bonus, castus, felix, & quid non? Ex pietate enim tanquam ex scaturigine promanant cæteræ Virtutes omnes, longèque se & latè diffundunt.

Nec caruit ista pietas *Maximiliani* nostri suo præmio. Cum enim dignitas illa *Ordinis Teutonici*, *Magistro* suo vacaret, illi quorum interest, pietate hujus moti & prudentia, Eum supremum *Ordinis sui per Italiam & Germaniam Magistrum* communi calculo elegerunt, dixerunt, confirmarunt.

Video

Video, Auditores, in nostri Principis Encomio, multa mihi prorsus omittenda: pleraq; verò breviter tantùm & carptim attingenda esse: quæ si enarrari & declarari diffusè & sufficienter possent, etsi in tristi argumento, jucunda sine dubio & grata forent. At temporis angustia Orationem quoque istam, angustis terminis circumcludere jubet. Taceo igitur vel invitus Principis nostri castimoniam vitæ & puritatem. Ea enim ità eleganter, ita purè traducta est, ut in tam magna fortunâ, quæ teste *Plinio juniore*, nihil tectum, nihil occultum esse patitur: ac non modò domûs Principum: sed cubilia ipsa, intimosque recessus recludit, & omnia arcana noscenda famæ proponit, atque explicat, nihil sit, quod castimoniam ejus in dubium vocare possit. Jactent *Graci Alexandrum Magnum*, qui *Darii filias*, ne formâ earum caperetur, abstinuit inspicere: laudibus ad cœlos efferant *Romani suum Scipionem*, qui divinæ formæ viraginem, apud *Numbantiam*, captam, sponso intactam reddidit. Nos quod in nostro *Maximiliano* non tantùm laudemus: sed etiam maximopere adnuemur, abundè habemus. Commendatur illòrum in unâ atq; alterâ solùm muliere refrenata libido, quæ tamen postea acrius erupit in alias: at *Maximiliano* nostro, in omni vita, omnibus in locis, eadem puritas, idem tenor fuit, ut nesciamus, utrum infans & puer purior & castior audierit, an vir & senex.

Novimus præterea, idque omnium in conspectu & confesso est, quàm multas & lubricas vias juventuti proponat Natura: scimus, quàm multis blandimentis Aula & fortuna illustrior ætatem primam alliciat: alliciat verò? immò sæpe capiat ætate corroboratos; Sed nostrum huncherò, neque Natura flectere ad vitium potuit, neque Aula irretire ad voluptates. Fuit ille, educatione sanctâ & bonis disciplinis ita confirmatus, ut Biblia conviviis, laborem lasciviæ, literas libidini, longis parasangis prætulerit.

Huic autem constantia in vita omni, aliarum quoq; virtutum chorū admiscuit, mansuetudinem nimirum, facilitatem, humanitatem ac clementiam: non ignarus, iis civiū ac subditorum benevolentiam parari, quâ, ut sapientes tradūt, nulla Principi melior custodia, nullū majus præsidium est. Hæc n. multò plus potest, quàm metus & terror efficere apud homines, qui, quem metuunt, oderunt: & quæ oderunt, perisse cupiunt.

B 2

Ex

Ex adverso autem, quos amant, tuentur; & in eorum incolumitate & fortuna, suam quoque positam esse credunt. Non ergo, quod *Demetrius Macedonum Rex* fecit, literas subditorum supplices in vicinum quemq; fluvium abiecit; non ut *Philippus, Alexandri Magni Pater*, aniculas pauperculas rejecit, auresq; suas obstruxit; sed comiter omnes, infimi etiam subfellii homines, se adeuntes, placido serenoq; vultu aspicere & compellare: audire benignè, respondere leniter ac pacatè. Neque verò ad *Pompejum Magnum, Augustum, Trajanum*, aut alios Principes, qui in hoc genere, præter ceteros commendantur, faciliorem accessum, quàm ad *Maximilianum* nostrum fuisse existimo. Atq; hæc omninò propria & insita huic familiæ adorea, & gloria, quam noster non didicerat, acceperat; sed unà cum Nutricis lacte hauserat, imbiberat. Ad hanc *Austriaci* Principes, non edocti: sed nati: non instituti, sed imbuti sunt. *Plutarchus* in vita *Numæ* autor est, *Æmyliorum* familiam Romæ *ἡρώδης αἰσῶνας*, hoc est, ab humana urbanitate, quam ex consuetudine *Pythagoræ* hauserant, ab ipso Rege, pacis amatore, fuisse nuncupatam. At re vera, si Te quis aspexit, *Maximiliane*, Princeps humanissime, meritò tu nobis *Maximus Æmylius* dici potuisti, & tecum gens omnis *Austriaca Æmyliorum cognomen*, ob humanitatē incomparabilē, assumere potest. Hoc n. humanitatis gradu, Majores tui ad tantarū regionū, tantorū Regnorum, & tandē ad *Imperii* ipsius *Romani* summum apicē ascenderunt. Hac virtute tu ita excelluisti, ut omnium hominum, Amicorum pariter & inimicorum amorem & benevolentiam, tibi conciliaveris. Hujus itaq; divinæ virtutis odorem fragrantissimum, cum longè lateq; efflares, quoquò gentium venisti, in quoscunq; vicos, in quasunq; Urbes, in quasunque demum provincias & terras ingressus es, omnes tui videndi, honorandi, prædicandi, mirabili cupiditate incendiisti: ita quidē, ut finem nullum Oratio mea inveniret, si *Hispanorum, Italarum, & Germanorum, Regum, Electorum, Principum* in Te studia & officia: si honoris, amoris, benevolentiae signa: si laudes ab eis, non ore tantum effusas: sed scriptis etiam ad posteritatis memoriam editas, recensere vellem. Unicum, idque Germanorum exemplum, silentio præterire non possum.

Venit aliquando *Maximilianus*, in *Palatinale Germersheimum*. Quid verò *Fridericus IV. Elector*? tantā cum excepit benevolentia, tanto habuit

habuit honore, tanto tenuit amore, ut parentem, ut Imperatorem, non majori suscipere pompa, non majori habere magnificentiā, non majori denique detinere promptitudine potuerit. Quod quidem benevolentiae testimonium, tam gratum, tam acceptum, tam magnum visum est *Maximiliano*, ut cum Electore per integros dies septem sincerè, amicè, & jucundè viveret, atq; abiturus ad se vicissim eum invitaret.

Quid non fecere *Electores Saxonie, Christianus II. & Joan. Georgius, Fratres augustissimi*? Nonne & ii eum *Dresdam* diversis temporibus adventantem, plus quàm regio splendore exceperunt? nonne abeuntem, plus quàm fraterni amoris Symbolo dimiserunt?

Et quid tertius *Imperii Princeps*, nunquam satis laudatus, *Mauritius, Hassia Landgravius*? Princeps, dico, nunquam (tanta in eo est eruditio, tanta virtus, tanta gloria) satis laudatus. Testor fidem vestram, quanta hic *Maximilianum* sirene Eloquentiae accedentem *Casellas* introduxit! quanta dulcedine sapientiae exhilaravit! quanto Eruditionis thesauro beavit! Et tantā quidem in existimatione, dignitate & laude fuisti (at ô cælum! ô terram! quàm triste, quàm miserabile verbum est, Fuisti!) tantā, inquam, in existimatione, dignitate & honore fuisti apud *Imperii Principes, Maximiliane* beatissime. An verò apud alios populos in statu deteriore? Minimè gentium. Nam ut in *Transylvaniam* abeam, quibus non verbis tibi gratulatum venerunt incolæ, cum post resignatam à *Sigismundo Barboréo* provinciam, ad rerum gubernacula suscipienda ingredereris? quibus non muneribus te honorarunt? quibus non animorum conjunctionibus te coluerunt? Id equidem sciunt ii, qui adfuerunt, ab Univerſo populo acclamatum fuisse: non Dominum: sed patrem suum: non hominem: sed Deum quendam, ad se venisse: quippe cujus humanitatem, mansuetudinem & beneficentiam fama illuc jam ante pertulerat, atq; in hominum auribus, linguisque collocarat. An verò etiam aliquid de *Moravia* dicam? Memini ego, *Maximiliane* sanctissime, cum in selectiori Comitatu tuo, ad justa Funebria *Divi Rudolphi* Fratris, *Imp. Augustissimi, Viennā* tecum secederem, & prius ad *Comitia Moravica* concederem, tanta te à *Pro-Marchione Moravia, Carolo Zierotino*, Dynasta incomparabili, aliisque Magnatibus, humilitate & submissione exceptum, ut major tibi honor, major benevolentia, majus obsequium, non facile alibi sit exhibitum.

Nec verò tua *Maximiliane* humanissime, erga Proceres illius regionis, & præsertim erga Magnum illum *Zierotinum*, minor erat comitas & benevolentia significatio. Multi Principes te etiam minores, vix ac ne vix quidem inferiores intuitu: plures ne alloquio quidem dignantur: aut si dignantur, asperis & horridis verbis eos alloquuntur: plurimi autem, ad mensam suam illos adsciscere dedecori sibi esse autumant. At verò quid Tu, Princeps optime? Exciperis à *Zierotinio* quem dixi, aliisque Magnatibus in arce *Selovvicianâ Theodoricæ Zierotini*, Baronis inclyti, Dn. *Caroli, Fratris*. Paratur prandium, mensæ accumbis, inserviunt tibi Proceres, apportantur cibi, præscinduntur. Verùm enim verò, quod stupebam, & mecum multi Comites, Barones, nobiles, sine *Carolo Zierotinio* vel cibum aliquem attingere renuebas. Et quamvis, pro summâ suâ prudentiâ & singulari Modestia sese humilimè, & quidem semel atque iterum excusabat, indignitatemque suam allegabat: tamen tu instare semper, immò jubere tandem, ut voluntati tuæ satisfaceret. Quid de humanitate tuâ in alios dicam? Equidem omnibus comem te, omnibus facilem benevoluntique & verè amicum præbebas. Qua virtute nihil Principi magis decorum, nihil ad perpetuitatem firmitus est. Nec caruit hæc humanitas & benignitas suo fructu. Nam dicto tempore Comitiorum omnes status atque ordines non minùs te amabant: observabant: & colebant, ac Dominum suum legitimum, Imperatorem *MATHIAM*. Immo verò quod maximum animi & grati probè erga te affectû iudicium fuit, non sine egregio ac pænè regio dono te dimiserunt.

Atque hæc omnia Germani Germano: Consanguinei Consanguineo: Clientes Patrono præstiterunt. Quid autem exteri & nationes peregrinæ? Majus quiddam & augustius vobis dicam, Auditores.

Cum *STEPHANUS Rex Polonia*, naturæ debitum persolvisset, atque ad Electionem novi Regis misissent præcipui Monarchæ Orbis terrarum: *SIXTUS V. Pontifex: RUDOLPHUS IMP. Rex item Hispania, & Rex Suecia: Moscovitarum Dux Magnus: Turcarum Imper. Rex, Tartarorum*, & alii, ac quisque aut se, aut suum, quem comen-

commendarat, Regem eligi peteret, præcipua *Nobilitas Polonica MAXIMILIANUM*, præ multis Regem elegit, pronunciavit, vocavit. Et verò licet votis eventus non responderit, in multorum tamen oribus & animis hæsit perpetuò, atque ejus tanta modestia fuit, ut vi aut machinis, sicut & ejus *Pater MAXIMILIANUS Imp.* cui idem ferè in *Polonia* fatum fuit, sese obtrudere & intrudere minimè voluerit. Meliora enim expectabat, & ea sine controversia consecutus fuisset, nisi modestè recusasset. Nam quis nescit, præteritis annis, proximum ei gradum fuisse ad diademata illa augustissima *Bohemie & Hungariae*? & tamen ille ea acceptare renuit, potiusque *FERDINANDO II. patrueli* suo, votum & suffragium suum concessit. Immo verò quod majus est, non defuerunt ex Imperii Principibus primoribus, quod exploratum habeo, qui ei pro *Fratre MATHIA, Imperatore* nunc nostro Augustissimo, intercedenti, Imperatoriam dignitatem ultrò offerrent. Tanta enim in eo gravitas, tanta Majestas erat, ut *MAURITIUS*, quem dixi, *LANDGRAVIUS*, post multa cum eo habita colloquia, ad suos Proceres conversus, non minùs eleganter, quàm verè dixerit: *videri sibi videre in MAXIMILIANO spirantem quandam imaginem Imperatoriam*. O vocem augustam! O vocem candidam! O vocem divinam! Et quidni divinam dixerim? Certè si modestia *MAXIMILIANI* admisisset, ut Imperii summum illud decus affectâset, facile impetrasset. At ille, communi paci consulens, fratri suo majori natu *MATHIÆ*, præ se, hoc Honoris magmentum concedere, at quid dico, concedere? immò conciliare voluit. O dignum omnium seculorum Principem, qui tanta regna, tantum imperium, etiam ultrò oblatum renuere, quàm invidiam sibi aliorum attrahere maluit! Commendatur hoc nomine, & ad æternam hominum memoriam consecratus est *Salustius* quidam, qui occiso *Juliano* Apostata, imperii sceptrum & diadema capessere noluit, quod parum firmâ uteretur valetudine: *OTHO, Dux Saxonia*, quod senectâ esset invalidus: *LUDOVICUS, THURINGIÆ LANDGRAVIUS*, quod literas nesciret. At quantò majori gloria dignus est noster *MAXIMILIANUS*, qui cum valetudine esset integrâ, ætate virili, & omnibus disciplinis exornatus

exornatus, coronas tamen illas & sceptrâ ingenti animo, & raro Modestiae exemplo, recusavit, repudiavit, dimisit, aliosque suo voto designavit, malens se imperio dignum videri, quàm Imperium indipsi.

Obruor quasi virtutibus *Maximiliani* nostri, quocunque oculos, animumque converto. Vitam privatam intueor? video veterem in eo Stoicorum disciplinam restitutam. Ad actiones publicas respicio? reperio pacem *Germaniae* per hunc stabilitam, & salutem communi patriae restitutam. Salus enim publica tantae ei curae, tantae solitudini, tanto labori fuit, ut nemo parens maiorem curam unici sui filii, quàm hic omnium nostrum, habere possit. Verbis multis rem ut demonstrem, non necessum est, cum testentur omnes homines, omnes *Germaniae* agri poenè ac campi loquantur.

Agite, Auditores, repetite paulò altiùs similitates illas, inter duos Fratres, *Rudolphum* & *Mathiam*, ante septennium exortas. Nonne illae in apertum & magnum belli incendium exoriri videbantur? at ille exstinxit. Perturbationes rerum Germanicarum crebras & graves perpendite, nonne navis Reip. Christianae in mediis fluctibus sic jactabatur, ut jam fatigari & tempestatibus planè cessura videretur? At ille omnes hactenus suâ prudentiâ sedavit, tantâ prudentia sedavit, ut *Catonem tertium*, vel Deum potiùs quendam è cœlis ad concordiam & pacem constituendam, descendisse multi crediderint. An verò *Germani* (vos universos appello) quod patria vestra floruit, quod vigit, quod in publicâ *Europa* flamma, in pace atq; securitate conquievit, ulli rei post Deum, quàm *Maximiliani* prudentiae, acceptû referre potestis? Laudatis exemptas Principib. *Germaniae* suspiciones nocentissimas? *Maximilianus* exemit. Commendatis, Principû dissensiones esse cõpositas? *Maximilianus* cõposuit? Approbatis concordiam, & pacem inter Principes esse conciliatâ? *Maximilianus* conciliavit. Gaudetis, amotos esse à finibus vestris externû militem? *Maximilianus* amovit. Quàm multos labores, quàm crebras profectiones, quàm continuas iritiones & reditiones in se suscepit? quàm multa heros prudentissimus dissimulavit! quàm multa tulit conservandae pacis publicae ergò! Atque utinam, utinam diutius hujus lucis usura frui potuisset, quod unicè volebat, studebat, agebat, sine dubio motus illos *Bojemicos* nuper exortos, sapientia & prudentia sua consopisset. Nam & in extremo vitae agone, hoc eum sua-

fisse,

fisse, hoc eum agitasse comperimus. Ubi ergo nunc sunt inter priscos *Romanos* *M. Lepidus*? qui suâ operâ, pace inter *M. Antonium* & *Augustum* constitutâ, *Concordiae* nomē assumfit. Ubi *L. Antonius*, cui ab amore fraterno pietas perpetuum cognomen fuit? Hi equidem, si reviviscerent, & superari sese à *Maximiliano*, eo ipso, quo gloriantur, ultro faterentur, & cognomina sua æquo animo Principi nostro assignarent.

Neq; verò hoc pacis & concordiae studium, timiditatem aliquam & abjectionem animi, aut diffidentiam inimici, (at quis inimicus sit tam candidi pectoris!) possunt interpretari, cum animum ejus herôicum & robur militare, non tantum Patria nostra satis viderit: sed etiâ *Hungari* obstupuerint, & crudelissimi hostes *Turcae* ad ravim usq; experti sint.

Nam ut primùm de præludiis bellicis, hoc est, de venationibus ejus dicam! Nonne ille, in prima statim adolescentiâ, ad eas studiosè exire? conspectâ ferâ ad eam cursum dirigere? jaculis illam petere? venabulû viriliter intendere? certissimè sagittam mittere? ictum non irritum habere? Nonne ille apud carceres magnificè concurrere? lanceâ fortissimè impingere? nec nisi fractam aut ejecto adversario dimittere? fragmenta in cœlum ejaculari? arte hosti collidere? equo dexterrimè uti? speciosissimè arma ferre? deniq; sic se gerere, ut nullus non eâ modò ætate: sed grandiori ac diu nonnunquam in bello versatâ, aut virtute superior aut dexteritate par inventus sit? Et hæc in juventute.

Ætate postea provectiori sæpè in pugnis imaginariis, seu dicam ludicris, ut quæ ad exercitûs exercitia comparantur, abunde, quanta in se esset fortitudo, in primis autem in bello *Turcico* manifestum fecit: ubi totam animi virilis vim, immò se totum ostendit, acer in cohortando: in congregiando animosus: in dimicando strenuus: manu promptus: in restaurando fortis: in persequendo constans: in obequitando volucris: in obeundo sedulus: Ducis pariter ac Militis partes implere, consilio Ducem, operâ militem agere: plurimùm certamine gaudere: libenter belli instrumenta tractare: bombardam cautè inflammare: telum non invitò torquere.

Singulorum exempla, quorum velut capita summatim perstringere animus est, non adducam: ne si omnia recenscam, mei oblitus, hoc est, infinitus videar. Sed pauca saltem, eaque, quæ in vestra omnium recenti sunt memoria replicabo.

C

Fœdus

Fœdus & pacta ruperat *Amurathes III Imp. Turcius* miseratq; in *Croatiâ*, Purpuratorum suorum facile Principem, *Bassam Bosnensem*, qui aliquot ex improvise Arces invasit, cepit, occupavit. Quid ergo pro *Cesare Fratre Rudolpho Maximilianus* noster? Equidem nihil quod à strenuo & Magnanimo Duce præstari debuit aut potuit, prætermisit. Cum enim *Sinan Bassa*, crudelissimus Tyrannus, ingenti Turcarum & Tartarorum manu, *Jaurinû* inferioris *Hungariæ* propugnaculum munitissimum obsedisset, *Maximilianus Cesaris* in *Croatiâ* vicarius factus, privatam interea manum ac eorum Duces, sibi jam invicem diffidentes, summâ illâ atq; exquisitâ dicendi facultate (quam à Naturâ in hortandis capiendisq; hominum animis admirabilem habuit, ingenio adauxit, & arte excoluit) eos stimulos ad bellum intrepidè suscipiendum, iis addidit: ut alto supercilio hostem contemnere, & fortiter adoriri discerent: adeo ut, qui antea Panico propè, ob amissas nonnullas arcas, terrore perculsi erant, sese recolligerent, ac vires suas adversus hostium insolentiam non modò experiri concupiscerent: sed incredibili animi ardore flagrarent, & vincendi occasionem, ex insolentiore hostium irruptione arripiendam judicarent: rati, nihil adversi contingere posse, ubicunq; tanti ac tam strenui Ducis virtus, prudentia & fortitudo affulisset. Eum enim omnia consilia regere, virtute tueri, ac fortitudine conficere posse sperabant: quod jam sibi persuasissent: nullam rem esse in usu militari positam, quæ tanti animi Ducem fallere posset. *Maximilianus* igitur, cum militum animos ad pugnandum accensos cerneret, instructis Equitum turmis, & peditum catervis, nihil omisit eorum, quæ vel cohortando, vel consulendo, vel prospiciendo, vel deniq; pugnando ad Ducem ac strenuum Imperatorem pertinere videbantur. Cum verò nunc in *Turcas* propè *Petrinum* incidisset, ipse equo incitato, omnium primus se in hostes immisit, aliosq; se sequi iussit. Hi ergo ubi Ducem viderunt, tanto animo hostes aggredientem, omnes clamore sublato concurrere, *Turcas* sparsos interceptere, & omnes ad unum interfecere.

Hac reportatâ ab hostibus victoriâ, *Maximilianus* nequaquâ cessandum esse arbitratus est; non ignarus quantum in bellis celeritas momentum haberet. Itaq; ad vicinas arcas & Urbes adspirans, cum aliorum Ducum, Decurionum, Centurionum, Equitum peditumq; animos excitasset,

citasset, progressus est ad vicina quæque loca: & omnium quidem primò ad *Petrinum* bellicas omnes machinas oportunis locis posuit, æque turmas, legiones, cohortes certis ordinibus digessit, hostemque, quamprimum venit, & vidit, vicit: ac locum natura & arte satis munitum, occupavit. Nec *Petrinum* tantum: sed *Hrastowizium* quoque, *Sisekium* & *Garam*, fortissima propugnacula expugnavit, *Cæsarique* Fratri & Orbi Christiano, summa cum laude, tanquam postliminio reddidit.

Hac secundâ victoriâ, verè secundâ latus & animosior factus Dux, ardentiori quàm antea, animo & majori cum spe tertiæ victoriæ & arcium Urbiumque recuperationis, in *Superiorem Hungariam* se conferens, hostes invasit, & *Castellum S. Nicolai*, *Sarwascham*, *Rekeescham*, *Erdekum*, & *Czongradum*, Arces infra *Solnokum*, versus *Gyulam* sitas, felici Marte expugnavit. Neque verò hoc felicitatis terminario contentus *Maximilianus* noster, quieti se dedit, Veneri & Baccho (quod nunc in bellis multi faciunt) prælium indixit: sed in dies novas res moliri, & quacunq; parte posset, hosti damnum inferre, & Christianis antea fraude vel vi erepta, recuperare vehementer desiderans, *Harwanum* arcem & Urbem amplissimam ac celebratissimam, vi expugnavit, & ultra bis mille Turcis utriusque sexûs, in primo fervore trucidatis occupavit: prædam amplissimam reportavit: & quod eam conservare difficile videretur, solo æquavit. Inde demum movens in *Hungariam inferiorem*, *Waziam* & *Papam* deditione cepit, & præfidiarios ultra trecentos cum *Semerdere Bego*, partim interfecit, partim vitâ incolumes, sed bonis omnibus exutos dimisit.

Hæc si omnia, *Auditores*, quæcunque fortiter, strenuè ac feliciter in illo bello, à *Maximiliano nostro* gesta sunt, perorando complecti velim, vereor, ne vestra me audiendi patientia citius, quàm dicendi argumentum destituat. Unicum saltem vobis adhuc recensabo: sed breviter.

Mahometes Turcarum Imp. ipse cum trecentis millibus hominum fortissimorum, in *Superiorem Hungariam* venerat: heic demum materiam sibi ostentandæ Virtutis & fortitudinis suæ datam *Maximilianus* ratus, Milites suos non minùs ac hostis, in aciem duxit, & cum summo *Vezerio Serdare*, præcipuo *Purpuratorum Turcicorum Principe*, ac numero-

merosissimo ejus exercitu septem vicibus conflixit fortissimè, ipsumq; *Vezirum* clade ingenti affectum, in fugam compulit. Quid factū porro? Venit ulturus cladem eam ipse Imp. Mahometes cum universo exercitu: At *Maximilianus* eundem quoq; propulsavit, ita ut *Mahometes* fugiens, sacramentum importunæ & infelicitis militiæ ejuraret; ac duo insuper purpurati Principes, inter quos *Mahometes Gracia Beglerbegus* repertus dicitur, cum magna Militum multitudine caderentur, ac signa aliquot militaria, tormentaq; bellica tria & quadraginta iis eriperentur. Atq; actum sine dubio fuisset eo tempore, de Imperio Turcico, nisi nostros prædæ dulcedo inescasset, aciemq; ordinum inturbasset. Ite nunc ergo vos *Thrasones* & *Pyrgopolinice*, ite, inquam, & deblaterate, quantum vultis, literas effeminare; literis cum armis nullum esse commercium; literaros cernere strictos gladios, aut pulverem pyrium olfacere non posse.

Plura dicere volebam: sed reprimunt me in medio quasi Orationis cursu Manes sanctissimi, *Maximiliani* nostri. Vitam serenissimi Principis exposui, mores immortalitate dignos descripsi, virtutes divinas enarravi, commendavi. De morte ejus dicere quoq; habeo. Sed ô me miserum! cur non silentio nobis sepelire licet propriam calamitatem? cur non reparare bonum amissum?

Dies non ita multos agrotavit sanctissimus Princeps. Sed vis morbi in dies vires majores acquisivit. In isto autem morbo suo non minùs ac in valetudine prospera, piè, sanctè, prudenter ac fortiter egit. Inviçtus n. erat adversus dolores, legi naturæ libenter obtemperans, & nihil non ferendum existimabat; quod humanitus accidere posset. Inter alia autem omnes suos ad pacem & concordiam, præsertim verò ad *motus Boëmicos* (ita audivimus) sedandos hortabatur, nullaq; re agrius è vitâ excedebat, quàm quod è vita exeundum esset, antequam turbas illas turbulentas composuisset. Atque ita aliis inserviando consumtus est celeberrimus Princeps. Obiit autem piè, sanctè & quietè, sine omni metu, sine diro motu, *Neosadæ*, *Civitate Austriæ* splendidissimâ, ubi & 60. annis ante natus erat. O Mors crudelis! ô lethum inexorabile! tam magnùm, tam pluri, tam castum, tam prudentem, tam pacificum, tam bellicosum, tam perfectum deniq; & omnibus numeris absolutum Principem, in hæc motibus infestis & infauçtis, celerata morte perimere debuisti?

buisti? O Mors invida! ô Mors impia! tantumne tu nobis invidere bonum? tantumne tu nobis intentare malum? Huic parce, hunc relinque in alios mortales impetum facito, falcem tuam immittito, sævito, prostermito: aliquot tamen ex multis, pauci ex omnibus supererunt. Quid aliud, quàm in hoc uno omnes obivimus? quid aliud, quàm in hoc omnes interivimus? Aut finito saltem, saltem dum pacem nobis restituat, dum sui desiderium, relicto de se tam illustri & propè divino concordie monumento, tolerabilius nobis faciat.

Sed quid tristamur? quid querimur? quid lamentamur? Nonne casum Magni hujus Principis nobis aër pluviosus & tristis. hæcenus prænuñciavit? nonne abitum & obitum ejus nobis portendit.

— *Stella flagrans Cometes*

Crinibus expansis, radio nitante per auras,

Æthereâ flammâ, formas imitante Deorum?

Scitum namq; est nihil Naturam frustra facere, atq; omnium eventus compertum habemus, quod plerumq; Cometa sit

— *gladii mortalibus index,*

Et famis ac pestis, præclarorumq; virorum,

Atq; Ducum interitus magnorum, nobiliumq;

Quid ergo miramur? quid rimamur? si

Principis interitus sortem complevit amaram?

Deus noster hanc facem nobis in cælo accendit: Deus hanc stellam suspexit: Deus hunc Cometam futuri hujus casus (urinam non gravioris, non peioris!) indicium præfiguravit. Præfiguravit, inquam, an fortè precibus nostris culpam deprecari, & prudentiâ nostrâ malum avertere vellemus. Fiunt enim talia signa, quod Ethnicus quoq; Philosophus *Plinius* asserit, propter incasura mala: quæ idcirco à Christianis vitari piis actionibus & prudentiâ: sicut & stellarum effectus, priusquam eveniant, à scientibus & prudentibus, teste *Ptolomæo*, averti possunt. Nemo itaq; tam impius, tam sceleratus esse debet, ut arbitretur, propter stellas crinitas, vel cælo volitantes faces, vel plures soles, vel aliud cæli prodigium, quicquam mali accidere. Verum enim vero, ut quod res est, fateamur,

Sæpe domi culpa est, nescimus credere cælo.

Vivimus, non ut debemus, sed uti volumus, neq; agnoscimus Bonos

C 3

Principes

Principes, singulare esse donum Dei, atq; hunc quoq; Principem laudatissimum divinitus nobis datum fuisse. Deus itaq; eum à nobis avocavit: Deus eum repetiit: Deus eum ad Patres nostros reduxit. Deus, inquam, cui omne, quod humano satū editum est, non potest non obsequi.

Et felix quidem tu nunc es, *Maximiliane* sanctissime, & beatus es. *Ex labore enim ad quietem: ex dolore ad voluptatem: ex fletu ad solatium te tota dimisit Mortalitas: ex hospitio in Patriam te saluum suscepit charitas: in Patria & regno te latum fovet & complectitur eternitas.* Nostrium verò hoc vulnus, noster dolor, nostrum exitium est.

Ah potentissime *Imp. Mathia*, quantas ille, quantas acerbitates, quantas ægrotudines ille tibi attulit dies, quo illustre corpus in lecto jacere acciperes! cum fratrem adversus dolorum cruciatus luctantem, tuamq; & Dei opem implorantem audires! cum viribus minui, calore destitui: vigore marcescere; colore expalescere: functionibus eripi; animo deficere; conatibus labi; vividos oculos emori: tandemq; ægram trahere animam, & mox immani atq; immiti morte occupatum, in pallidam veluti statuam diriguisse videres!

O *Rex Serenissime, Ferdinande*, vosq; patrueles ceteri, Agnati Cognati illustrissimi, quæ vobis mens, quis animus, quis color, quis vigor fuit; cum oculos suos clausisse, vobisq; omnibus valedixisse famâ acciperetis, non Patruelem, non agnatum, non cognatum: sed verè patrem vestrum?

Quid verò Tu, & *Austria*, Mater ejus felicissima; sed olim felicissima; nunc moestissima, nunc miserrima? Dolet eum sibi ereptum tam citò *Silesia*: deflet *Moravia*: luget *Lusaria*: deplorat tota *Germania*, ac inprimis gemit *Bohemia*: gemit autem? immò, quod firmiter persuasum habeo, si vocem emittere posset, in hæc verba erumperet: O beatissime Princeps, quàm tempore non meo occubui! Tu cum videres, quantum momenti ad conservandas Resp. Regna & Imperia, in pace esset & concordia, pacem semper suavisti, pacem fovisti, pacem promovisti, pacem denique amissam restitui. Vidisti etiam in meditullio quasi mei territorii, in visceribus quasi mei corporis, motus esse, excitatos; vidisti pacem & concordiam abactam: arma & Bellonam inductam. Vidisti, inquam, omnia,

retro

—retro sublapsa refervi.

In Te igitur spem ego meam posueram: in Te ego fiduciam meam collocaram: per Te ego restitutionem pacis desiderabam: per te pristinum statum. pristinum nitorem, pristinum vigorem, sperabam. At jam ego in ambiguo statu, dubiis votis, incertis desideriis, tanquam infirmâ valetudine relicta filia, quò me convertam? quos intercessores implorem? quos obtester?

Hæc *Bohemia*: cujus tristissimis vocibus sic moveor, ut ferè totus in lacrymas diffuam.

Duram igitur ô metamorphosin! ô iniquam mutationem! prostante jacentem? pro ingrediente porrectum? pro loquente mutum? pro auscultante surdum? pro spirante, exanimem? pro vivo, demortuum? pro homine, hominis manere figuram? Quis ista, qui non vidit, sed audivit modò? *Imperatorem Mathiam* in squallore & luctu positum: *Regem Ferdinandum* pullatum: patrueles, agnatos, cognatos, lacrymis colliquescentes: elacrymatam *Austriam*: *Bohemiam* & socias provincias in fletum & lamenta resolutam: *Germaniam* lugentem: mutam *Aulam*: silentia omnia: aut nihil aliud, quàm *Maximilianum* uno perpetuoque questu ejulantia: quis heu, quis communem sibi dolorem non faciat? quis perituris parcat lacrymis? Quis tam rigidus? quis tam ferreus, quem ista non commoveant? quis tam pumiceus, cuius oculos ista non turbent? cui non excutiant lacrymas? Cujus genas in lacrymarum fluvios non corrivent? immò qui nunc sumus, rivi fiamus lacrymarum?

Sed levis est jactura corporis, & Mors munus est Naturæ corruptæ necessarium, ut iterum fiat voluntarium, quod futurum est necessarium. Vivit *Maximilianus*, vivetque semper, & ibit in secula, fuisse eum Principem; cujus fuisse aliquot Pares virtutibus habemus & habebimus, amore in patriam verò superiorem neminem. Vivet, inquam, *Maximilianus*: & quamvis ipsa invidia, ipsa Calumnia nolit, vivet: atque eam quidem vitam vivet, in qua nullus locus est invidiæ, nullus calumniæ, nullus mortalitati. Offeramus igitur Deo preces, pro munere, quod pro debito tenemur reddere: rogemusque eum votis ardentibus, ut decurso in hac terrestri Civitate vitæ spatio, transferat nos in Civitatem illam cœlestem, cujus figura speciosa,

speciosa, structura pretiosa: ubi lux erit sine tenebris; corpus sine miseriis: ubi salus erit sine dolore; vita sine labore: ubi amor nunquam frigescet; gaudium nunquam decrescet: gemitus non audietur, neque dolor sentietur: ubi triste nihil videbitur; lætitia semper habebitur: ubi summa & certa securitas; segura tranquillitas; tranquilla jucunditas; jucunda felicitas; felix beatitas; beata Trinitas; Trinitas, unitas; unitas, Deitas; & Deitatis in omnem æternitatem, perennis visio.

D I X I.



XXXV

ORATIO PANEGYRICA
GRATULATORIA
DE
CORONA BOHEMICA
AD
SERENISSIMUM AC POTENTISSIMUM
PRINCIPEM AC DOMINUM, DN.
FRIDERICUM
ELECTUM BOHEMORUM REGEM
S. R. IMP. ELECTOREM, COMITEM PALA-
TINUM AD RHENUM, UTRIUSQUE BAVARIÆ
DUCEM, MARCHIONEM MORAVIÆ, DUCEM SILESIAE
& LUCEMBURGI, MARCHIONEM LUSATIAE,
COMITEM VELDENTIAE & SPAN-
HEMII, &c.
CONSCRIPTA
&
PUBLICÈ RECITATA
IN ILLUSTR
ACADEMIA MARCHICA ELECTORALI
à
FRANCISCO LANGERO
Vratislaviensi, LL. Stud.
d. 21. Decembr. Jul.
ANNO CHRISTI M. DC. XIX.

Exscripta Literis
FRIDERICI HARTMANNI, Bibliopolæ.